

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Oratio r
cum fonte primo

Ne deficias in oratione, Deus quod
concessurus est, et si differt, non aufert.

Ergo
non deficiamus in oratione. Ille quod
concessurus est, etsi differt, non aufert;
securi de pollicitatione ipsius non
deficiamus orando; et hoc ex beneficio
ipsius est.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes
in Psalmos*, 65, 24 (CCSL 39, E.
Dekkers & J. Fraipont eds., p.856, ll.25-
28).

Non leuitate utitur qui promisit, non
facile de sententia mouetur quod
promisit fixum est.

Ille locutus est haec, fiat necesse est
quod locutus est: uir grauis est,
non leuitate utitur, non
facile de sententia dimouetur, quod
promisit fixum est.
Sed tamen homo est, qui aliquando
quod promisit facere uult, et non potest.
De Deo non est quod tu timeas;
quia uerax est, constat;
quia omnipotens est, constat;
fallere te non potest, habet unde faciat.

Fallere non potest; habet unde faciat.

Augustinus super Psalmum LXV.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes
in Psalmos*, 59, 8 (CCSL 39, E. Dekkers
& J. Fraipont eds., p.759, ll.3-9).